

DE LEGE CAELIBATUS SACERDOTALIS: NOVA INVESTIGATIONIS ELEMENTA

SUMMARIUM: Quaeritur in prima parte de origine et fundamento legis continentiae praescriptae clericis qui sacros ordines susceperint. Concilium Lateranense I in legem generalem converterat disciplinam in multis iampridem decretis sustentatam, v. gr. in can. tertio Concilii nicaeni (a. 325). Iuxta eam, uxoribus ministrorum sacrorum non licebat vivere in eadem domo cum illis. Concilium lateranense II, a. 1139, statuit ordines sacros impedire matrimonium clericorum in sacris; sed nequit firmiter sustineri impedimentum illud tunc prima vice consideratum fuisse dirimens, et non solum impediens matrimonium, nam eo tempore haec differentia minus attendebatur. Unum perspicuum erat: clericos in sacris matrimonium contrahere non posse; quodsi illud prius contraxerint, cum consensu uxoris ad continentiam exinde fuisse obligatos. Talis erat traditio universalis Ecclesiae. Solis clericis minoribus permittebatur matrimonium; sed hi quoque, si nupserint, privabantur beneficiis ecclesiasticis. In altera parte consideratur expressius motivum et origo caelibatus clericalis. Non tantum pro religiosis, verum etiam pro clericis sacris saecularibus, caelibatus erat consequentia simul et protectio consecrationis Deo factae. Ratio munditiei ritualis, seu cultico-sacrificialis, inspirationis vetero-testamentariae, omnino secundaria fuerit. E documentis mediaevalibus regrediendo, licet pervenire ad tempora apostolica in universa Ecclesia, si excipiat obscurum testimonium Paphnutii in Concilio Nicaeno, necnon norma statuta in Synodo Trullana ad finem saeculi VII, quae acceptata fuit in Ecclesia Orientali.

Quaestio de caelibatu sacerdotali in Ecclesia actualis est. Sunt semper facienda profundiora studia de loco eius ac disciplina in vita et theologia Ecclesiae. Velim hodie aliquas praesentare considerationes quae possint hisce investigationibus contribuere.

Uti scimus, positio a pluribus auctoribus recepta sequens est: disciplina caelibatus excludens matrimonium facta est obligatoria universaliter, pro Ecclesia Ritus Latini, solummodo in saeculo duodecimo propter legislationem Concilii Lateranensis II (1139); sed apud Ecclesias Orientales, Catholicas et Orthodoxas, traditio apostolica de clero uxorato adhuc viget. Analysis autem, legislationis Concilii Lateranensis II nunc mihi facienda est.

Pars I

QUID STATUIT CONCILIUM LATERANENSE II

Canon sextus huius Concilii dicit:

Decernimus etiam uti ii, qui in ordine subdiaconatus et supra uxores duxerint aut concubinas habuerint, officio atque ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum Dei, vasa Domini, sacrarium Spiritus sancti debeant esse et dici, indignum est eos cubilibus et immunditiis deservire¹.

Canon autem septimus dicit:

Ad haec praedecessorum nostrorum Gregorii VII, Urbani et Paschalis Romanorum pontificum vestigiis inhaerentes, praecipimus ut nullus missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit.

Ut autem lex continentiae et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuimus

¹ *Conciliorum Oecumenicorum Decreta* Herder, Bologna, 1962), 174.

quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum uxores sibi copulare praesumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati, pro tantis excessibus condignam poenitentiam agant².

Procedamus inspiciendo primam canonis septimi partem. Fideles prohibentur audire missam sacerdotis qui habet relationes illicitas cum muliere: «quos uxores vel concubinas habere cognoverit». Notandum est locutionem non esse de prohibitione matrimonii ex parte sacerdotis, sed de cohabitatione cum propria uxore vel cum concubina. Hic est sensus verbi «habere», ubi subintelligitur adesse relationes sexuales. Canon sextus, e contra, loquitur de prohibitione contrahendi matrimonium eis qui iam sunt in sacris constituti: «qui in ordine subdiaconatus et supra uxores *duxerint*... officio... careant».

Secundum canonem septimum clerici non poterant iacere carnaliter cum propriis (legalibus) uxoribus, sumptis ante ordinationem, quia — ut apparet in secunda parte canonis — obnoxii erant legi continentiae totalis. Immo, traditio canonica constans Ecclesiae Latinae fuit ut ordinandus, sive nuptus sive innuptus, cum acceperit ordinem maiorem, sese adstrinxerit disciplinae continentiae absolutae. Evidenter hoc supposuit, in casu viri uxorati, quod uxor ad eius ordinationem et mutuam continentiam dederit suum consensum. Praeterea, quondouidem talis promissio amplectandi huiusmodi vitam continentem habebat indolem sacram, promissi violatio censebatur peccatum grave atque crimen ecclesiasticum. Castita-

² *Ibid.*

te promissa et sponsa, regressus ad vitam conjugalem idem ac fornicatio vel adulterium erat. «Adulterium non est solum cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugis», scripsit in contextu continentiae clericalis Summus Pontifex Benedictus VIII anno 1022³. Neque existimari potest hanc fuisse theoriam seculi undecimi. Per totam Ecclesiae historiam, Occidentalem et Orientalem, violatio pacti consecrationalis in re matrimoniali, seu in iuribus matrimonii, censebatur veluti fornicatio vel adulterium⁴. Quod si ita erga coniugatos fuerit, eo magis erga clericos inuptos. «Quia cum propriam uxorem habere non permittitur, maxime ab omni femina est abstinendum», ait concilium romanum, anno 826 habitum, sub praesidentia Summi Pontificis Eugenii II⁵. In saeculo undecimo omnis cohabitatio sub eodem tecto cum coniuge sumpta ante accessum ad ordines superiores stricte prohibebatur. Qui usus, factus lex generalis, prima quidem vice apparet in Concilio Generali Lateranensi I (1123)⁶, disciplina

³ J.D. MANSI, *Sacrorum Conciliorum Nova et Amplissima Collectio* (Welter, Parisiis-Arnhem-Lipsiae, 1899-1927) 19, 349.

⁴ Cf. S. BASILIUS MAGNUS, cc. 18 et 19; S. AUGUSTINUS, *De Coniugiis Adulterinis* II 22; S. HIERONYMUS, *Adversus Jovinianum* I 34; Toletanum IV (633), Canon 21. In Poenitentialibus saeculorum VI-IX vox «adulterium» saepe invenitur; ad exemplum, canon 113 *Parisiensis* dicit: «Si quis clericus vel superioris gradus uxorem habuerit et post clericatum eam cognoverit, sciat se adulterium commisisse». H.J. SCHMITZ, *Die Bussbücher und die Bussdisziplin der Kirche* (Mainz, 1883), 693. Commentarium graecum invenitur in *Pedalion (The Rudder) of the metaphorical ship of the one holy catholic and apostolic Church of the Orthodox Christians* (Chicago, 1957), 305, 343, 499-501, 805-808 et passim.

⁵ MANSI, 14, 1005.

⁶ *Conc. Oec. Decreta*, 167: «Presbyteris, diaconibus vel subdiaconibus concubinarum et uxorum contubernia penitus in-

autem ipsa invenitur in multiplicibus instructionibus et decretis synodorum localium et provincialium a saeculo nono⁷. In saeculis prioribus, praesertim a saeculo V usque ad saeculum VII, cohabitatio seu vita communis, sine usu iurium matrimonialium, permittebatur⁸.

Hoc modo interpretatio lata data est canonis tertio Concilii Oecumenici Nicaeni I (325), quod prohibet ne clerici cohabitent cum muliere «subintroducta» (syneisaktos), nisi ea sit cognata vel persona quae non gerit suspicionem⁹. Uxor professsa seu «conversa» vitam agebat ad instar «sororis spiritualis». Ad disciplinam continentiae complendam — incontinentia idem significabat ac non-abstinentia ab opere coniugii hoc in contextu — Ecclesia Latina Medio Aevo severior facta in suis de cohabitatione normis. Idem vero acciderat etiam in Oriente. A tempore

terdicimus et aliarum mulierum cohabitationem, praeter quas Synodus Nicaena propter solas necessitudinum causas habitare permisit...».

⁷ ALFONS M. STICKLER, *The evolution of the discipline of celibacy in the Western Church from the end of the patristic era to the Council of Trent in Priesthood and Celibacy*, ed. J. Coppens (Milan, 1972), 515 ss.

⁸ Fons magni momenti ad demonstrandam hanc disciplinam est: S. LEO MAGNUS, *Epistola ad Rusticum Narbonensem episcopum, Inquis. III*, Resp (anno 458-459): MIGNE, *Patrologia Latina* (PL) 54, 1204 a.

⁹ P.P. JOANNOU, *Discipline Generale Antique (Ile-IXe siècle) I, 1: Les canons des conciles oecuméniques*, Pontificia Commissione per la redazione del codice di diritto canonico orientale. Fonti, fasc. IX (Grottaferrata, 1962), 25-26; unde normam habemus quae exprimitur in canone 133 C.IC (1917) et canone 277, 2 CIC (1983). Vide etiam ROMAN CHOLIJ, «Married clergy and ecclesiastical continence in light of the Council in Trullo (691)» in *Annuario Historiae Conciliorum*. 19, Heft 1 (1987), 147-154.

Imperatoris Iustiniani (527-565), et praecipue post Concilium Trullanum celebratum, episcopi uxorati — degentes quidem in continentia — debebant omnino separari ab uxoribus suis (canon 12). Immo, hae uxores debebant ingredi in monasterium (canon 48). Patres, autem, Graeci huius Concilii sciebant etiam fuisse presbyteros nuptos degentes ultra Imperium Byzantinum (in «ecclesiis barbaris») qui fecerant professionem castitatis. Quibus decretum est ut praeberent integram huiusmodi promissi manifestationem, sese separando absolute ab uxoribus suis (canon 30). In Ecclesia Persiana saeculo V haec disciplina iam in vigore erat¹⁰.

Nunc inspiciamus alteram partem canonis 7 Concilii Lateranensis II:

«Ut autem lex continentiae et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuimus quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi ... qui sanctum transgredientes propositum uxores sibi copulare praesumpserint, separentur...».

In his verbis citatis nihil novi invenitur quod in legislatione occidentali anterioribus temporibus non inveniatur. Siquidem uxores legitimae separari debebant a maritis qui in sacris ordinibus constituti erant (memorandum est quod conditio sine qua non ad accipiendos ordines fuit consensus huic disciplinae utriusque coniugis), multo magis uxores illegitimae separari debebant. Vera quaestio hic tractata haec

¹⁰ Textus canonum 12, 48 et 30 habentur in JOANNOU, I, 1, 138-139; 186; 160-161; canon 3 concilii habiti anno 486 ad Mare Acacio: J.B. CHABOT, *Synodicon orientale ou Recueil de synodes nestoriens* (Paris, 1902), 303-306. Sacerdotes in continentia viventes debebant, tamen, in monasterio degere; *ibid.*

est: lex seu sanctum propositum *continentiae* violatur. Haec lex, ut statuit canon, dilatanda erat, id est, melius atque latius servanda. Deest omnino evidentia quod haec verba interpretari debeant tanquam praescriptionem novae legis in illis locis ubi adhuc ea non vigeat. Revere, hoc Concilium generale affirmabat disciplinam quae ubique in Ecclesia Occidentali iam inveniri poterat in regulis synodorum localium, regionalium et provincialium¹¹. Neque datur legi continentiae interpretatio extensiva ubi additur prohibitio contrahendi matrimonium. Haec prohibitio erat iam regula antiqua, vicens et in Ecclesia Occidentali et in Ecclesia Orientali. Alter terminus huius prohibitionis invenitur in verbis canonis 6 Concilii:

«Decernimus etiam ut ii, qui in ordine subdiaconatus et supra uxores duxerint... officio atque ecclesiastico beneficio careant».

Haec prohibitio *necessitate logica* sequebatur professionem seu promissionem castitatis — scilicet urgebatur acceptatio personalis legis continentiae — facta a clericis momento quo manuum impositionem receperunt. Haec relatio logica continentiam professam inter et prohibitionem amplectendi matrimonium clare animadvertitur, exempli gratia, in canonibus Concilii Londinensis, anno 1102 celebrato, sub pontificatu Paschalis II:

«Ut nullus archidiaconus, presbyter, diaconus canonicus uxorem ducat aut ductam retineat; subdiaconus vero quilibet qui canonicus non est, si post professionem castitatis uxorem duxerit, eadem regula constringatur»¹². «Ut nullus

¹¹ STIVKLER, 503-549.

¹² MANSI 20, 1151.

ad subdiaconatum, aut supra, ordinetur sine professione castitatis»¹³.

Posteriori tempore sufficit consulere *Decretum Gratiani* ad intelligendum hanc minime fuisse innovationem mediaevalem¹⁴. Quaeenam, ergo, considerari potest innovatio Concilii Lateranensis II? Novitas censetur haberi in verbis penultimis canonis:

«Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus».

Solummodo annis posterioribus, post evolutionem theoriae iuridicae de impedimentis factam, ordo et votum sollemne considerantur ut impedimenta *dirimentia*. Nunc autem, quaeritur utrum revera positio Ecclesiae spectans matrimonia inita post ordinationem mutata sit necne? Aliis verbis, estne in canone 7 mutatio impedimenti «impedientis» in impedimentum dirimens?

Expressio «matrimonium non esse censemus» iam invenitur in Concilio Pisano, anno 1134 celebrato¹⁵. Et uti iam notatum est supra, talia matrimonia semper censebantur ut coniunctiones adulterinae. Dicendum autem est statim, nos non posse simpliciter affirmare talia matrimonia semper fuisse irrita. Imprimis, fontes loquuntur saepe saepius de poenis incurrendis, et tacent de sorte mulieris atque de legalitate, in sensu tecnico, matrimonii. Secundo, aliquando Ecclesia poterat dispensare hac in re — saltem pro diaconis — degradatione ad statum laica-

¹³ *Ibid.*

¹⁴ E.g. *Pars Prima*, Distinctiones 26-34, 84.

¹⁵ MANSI 21, 489.

lem adnexa, et praesertim si intervenerit ignorantia de obligatione continentiae totalis. Meo iudicio, autem, problema non facilem habet solutionem, praesertim si consideramus traditionem in Ecclesiis Orientalibus.

In Ecclesia Armena saeculi IV clericus qui attentavit matrimonium excommunicatus est¹⁶. Canon primus Concilii Neocaesarensis (c. 319) deponit presbyterum qui tentavit matrimonium. Similiter Canon 25 collectionis saeculi quinti quae nuncupatur «Canones Apostolici». Iustinianus, Imperator Byzantinus, declaravit, anno 530, talia matrimonia esse «incesta»¹⁷. Simili modo, Ioannes Darensis, Syriacus saeculi VIII, statuit:

«Sacerdos est Pater omnium fidelium, virorum atque mulierum, in cura sua. Qui hanc dignitatem inter fideles tenet, et postea nubit, similis est ei qui propriam filiam nubeat. Quod est scandulum magnum»¹⁸.

Nunc est quaerendum: dum talia matrimonia detestabilia sunt considerata ab Ecclesia, ob violationem erga Deum et Ecclesiam pacti consecrationalis, num, nihilominus, ab Ecclesia ut vera matrimonia considerari possunt? Haec est quaestio.

Cum Imperator Iustinianus declaravit liberos natos ex matrimonio inito postea ordinationem esse illegitimos, nonne per hoc statuit matrimonium uti

¹⁶ *Canones sacri Gregorii Armeniorum apostoli*, can. 2. A. MAI, *Scriptorum veterum nova collectio, e Vaticanis codicibus edita* (Romae, 1838), X, 2, 269. Cf. canon 20 Basilii Magni.

¹⁷ *Epistola ad prefectum Iulianum*, *Corpus Iuris Civilis* (CJC) ed., Th. Mommsen et al (Berlin, 1928), 2, 30-31.

¹⁸ *De Sacerdotio* IV, 10. *Codificazione Canonica Orientale*, Fonti, Serie II Fasc. 27: *Disciplina Antiochena Antica Sira*, III (Vatican, 1941), 229-230.

invalidum habendum esse¹⁹? In Concilio Trullano (691/2), quod habetur uti oecumenicum apud Orthodoxos, canon tertius, qui declaratur fidelis traditioni apostolicae, statuit matrimonium initum post ordinationem esse «nefarium» et evidenter «dissolutum» («... eis videlicet nefario dissoluto coniugio»)²⁰. In canone 26 eiusdem Concilii, de presbytero ex ignorantia illicitis nuptiis implicato, statuitur:

«Manifestum enim est, quod nefarium coniugium dissolvetur, nec vir cum ea ullo modo consuetudinem habebit, per quam sacris operandis privatus est»²¹.

Etiam si matrimonium de quo agitur hoc in canone verisimiliter non est matrimonium contractum post receptionem Ordinis, censura in canone lata nobis significativa videtur. In canone 6 eiusdem Concilii, clericus deponatur si attentaverit matrimonium. Igitur, secundum mentem Patrum Concilii, etiam in hoc canone «nefarium coniugium dissolvetur».

Quaerendum, ergo est: declaratne Concilium, verbis technice nondum evolutis, idem ac formula Concilii Lateranensis II: «matrimonium non esse censemus»? Secundum auctorem Graecum Knetes, Concilium statuit ordinem esse «impedimentum absolutum»²². Admittendum est, nihilominus, quod

¹⁹ *Ibid.* (vide, tamen, commentarium factum a KNETES, «Ordination and matrimony in the Eastern Orthodox Church», *Journal of Theological Studies* 11 [1912] 393).

²⁰ JOANNOU, I, 1, 125-130.

²¹ *Ibid.*, 156-157.

²² «Ordination and matrimony in the Eastern Orthodox Church», *Journal of Theological Studies* 11 (1912) 396. Hanc sententiam exponebat iam BENEDICTUS XIV in Const. *Eo quamvis tempore* diei 4 mai 1745. §§ 38-39 (FIC, I, n. 357, pp. 899-900).

quaestio non tam simplex est, quia deest distinctio impedimentum dirimens inter et impedimentum prohibens in aliis casibus tractatis in eisdem Concilii canonibus, ubi, praeter impedimentum Ordinis, eadem sanctio datur, e.g. pro bigamis succesivis. Praeterea, sermo est de «dissolutione», quae potest vel separationem vel nullitatem ab initio significare²³. Quibus iam dictis, ratio agendi Ecclesiae ea semper erat quam in hac *Regula Iuris* «Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum» translatitio sensu, percipere prosumus²⁴. Pondus sive impediens sive dirimens prohibitionis, practice, in Ecclesia primorum saeculorum, non habebat magnam

²³ Cf. PIERRE L'HUILLIER, «L'indissolubilité du mariage dans le droit et la pratique orthodoxes», *Studia Canonica* 21 (1987) 239-260.

²⁴ Regula LI (Bonifacius VIII). Cf. BALSAMON, qui scribit: «Quamobrem eam [diaconissam], quae semel Deo est dedicata, etiamsi fuerit deposita, nullo modo sinit alicui coniungi, quod sit corpus ejus consecratum, et servari debeat ab omni coitu, et omni usu carnali iuxta universalem regulam quae dicit "*Quod sanctum est non fit pollutum*" [emphasis mea]. Nota ergo haec propter clericos et monachos, qui transformant et mutant habitum, imo et monachas etiam, et ascetrias volentes legitimis uxoribus aut viris coniungi». *Commentarium in canonem 44 Basilii Magni*: MIGNE, *Patrologia Graeca* (PG) 138, 719c-722a. Meo iudicio, plures auctores plenum contextum sermonum de sexualitate in scriptoribus uti Ambrosio, Hieronymo et Siricio non considerant. Voces, ad exemplum, uti «pollutio» — quae etiam invenitur apud Balsamon — intellegi debent in contextu vitae consecratae quae contra oppugnatores defenditur. De hac re vide DANIEL CALLAM, C.S.B., «Clerical continence in the fourth century: three papal decretals» in *Journal of Theological Studies* 41 (1980) 5-15 et passim; DAVID HUNTER, «Resistance to the virginal ideal in late fourth-century Rome: the case of Jovinian» *TS* 48 (1987) 45-64; JOHN R. CONNERY, «The role of love in Christian marriage: a historical overview» in *Communio* 11 (1984), 244-257.

differentiam, cum delictum semper gravissimum censeretur.

Nunc revertendo ad Concilium Lateranense, videndum est quid novi statuerit. Revera, legislatio ibi contenta mera affirmatio est legis anterioribus temporibus iam existentis. Vera novitas huius aetatis, quae «Reformatio Gregoriana» dicitur, in eo habetur quod Summi Pontifices magno cum vigore oppugnabant perturbationes quae iam versae erant in consuetudines contra leges Ecclesiae traditionales²⁵.

Vidimus Concilium Lateranense II caelibatum in sensu stricto non statuisse ut normam quae matrimonium sacerdotis impediat, ut dicunt aliqui²⁶. Canones inveniuntur in Decreto Gratiani (c. 1142), in quo occupant locum naturale una cum aliis normis de continentia servanda et de prohibitionem ineundi matrimonium in eos lata qui castitatem professi sunt²⁷. Canonistae, autem, progrediente tempore saepe et saepius opinionem tenuerunt, quod tantum ii qui innupti essent ad ordines minores admitterentur. Hi quidem caelibes poterant adhuc ducere uxores; sed, si hoc fecerint, privationem subirent beneficiorum ecclesiasticorum.

Romanus Pontifex Alexander III (1159-1181) hanc reformationem prosecutus est, iterando variis in instructionibus quod traditum erat; nempe, iis qui in sacris ordinibus erant constituti, eo quod debebant

²⁵ Cf. STICKLER, 459.

²⁶ SCHILLEBEECKX, exempli gratia, errat cum dicit: «Only from that time (1139) does marriage become a bar to the priesthood, so that only the unmarried could become priests». *Ministry: A case for change*, (SCM Press, London, 1981) 88.

²⁷ Canon 6 invenitur in c. 2, Dist. 28; Canon 7 («Ut autem... agant») in Pars Secunda, causa 27, q. 40.

servare legem continentiae, non permittebatur inire matrimonium. Quibus autem ordines tantum minores haberent, matrimonium permittebatur. Nova tamen stipulatio addita erat: qui, clericus minor, duxerit uxorem, privetur redditibus ecclesiasticis; sed tamen ulterius in ministerio manere poterat²⁸. Concessio, autem, facta est pro iis in Anglia, quia erat adhuc «natio et gens barbara», et quia beneficiis ecclesiasticis non poterant privari «sine magno discrimine ac effusione sanguinis» (!). Clericus coniugatus ordinari poterat, si perpetuam vovisset continentiam²⁹.

Honorius III (1216-1227) item eam conservavit legislationem traditionalem. Hic Summus Pontifex declaravit quod, si clericus inferior duxerit uxorem, censeretur esse magis in ministerio eius uxoris, quam in servitio Ecclesiae³⁰. Privatio beneficii, praeterea, ut effectum habuit quod solummodo illi, qui vere spiritu servitii animati erant, reciperent impositionem manuum.

Iam saeculo XIV clerici coniugati exceptiones erant. Ioannes XXII, anno 1322, statuit quod uxoratus qui voluerit ordines recipere, nisi prout sacris canonibus noverit convenire, monasterium ingredi

²⁸ STICKLER, 553-555.

²⁹ *Decretales Gregorii IX, de clericis coniugatis*, III, 3, 2: «Sane de clericis inferiorum ordinum, qui in coniugio constituti diu ecclesiastica beneficia ex concessione praedecessorum tuorum habuerunt, a quibus sine magno discrimine ac effusione sanguinis non possunt privari, fraternitati tuae id duximus respondendum, ut, quia ibi natio et gens barbara et multitudo in causa est, eos sub dissimulatione sustineas ecclesiastica beneficia tamdiu habita possidere; Provideas attentius, ne deinceps clericus coniugatus ad ecclesiastica beneficia, vel sacros ordines aut administrationes ecclesiasticas admittatur, nisi forte castitatem voveret perpetuam, et qui unicam et virginem habuisset uxorem».

³⁰ *5 Comp. ant.*, III, 2, 2.

deberet³¹. Postea, Concilium Tridentinum (1545-1563), etiamsi permisit uxoratos in ordinibus minoribus esse, normam caelibatus pro Ecclesia in sensu stricto clare imposuit; et caelibatus promovendus erat per seminaria condenda³². Eo iam tempore, lex continentiae significabat caelibatum strictum. Caelibatus strictus reapse semper fuerat conditio idealis pro sacerdotio (etiam in Oriente). Nunc autem norma idealis in normam generalem transiit. Codex Iuris Canonici Pio-Benedictinus (1917) adhuc coniugatos constitutos in sacris praevidebat, sed tantum cum dispensatione apostolica ab impedimento simplici (cc. 132, 3; 987, 2). Et, secundum principia interpretationis legis, obligatio continentiae perpetuae omnino remanebat (Cf. C.I.C. [1917] cc. 132, 1; 24; 29).

CONCLUSIO

In Ecclesia Latina caelibatus strictus, id est obligatio viri innupti ad continentiam servandam, originem tempore Concilii Lateranensis II non habuit. Disciplina enim evoluta est temporibus posterioribus, veluti exitus inevitabilis antiquae legis continentiae, secumferens commoda libertatis apostolicae atque virtutes evangelicas ad virginitatem consecratam pertinentes. Cor, tamen, seu essentia caelibatus remanebat lex vel professio continentiae quae, uti norma, in re caelibatus innuptos, nuptos et viduos olim unificabat. Concilium Lateranense II, ergo, clericos uxoratos permittebat, sed eodem tempore legem continen-

³¹ *Extravagantes Joannis XXII*, VI, *de voto et voti redemptione*, cap. un.

³² Sessio XXIII, cc. 17 et 18 *De Reformatione: Conc. Oec. Decreta*, 726 ss.

tiae affirmabat. Et hoc tribus normis statuentibus fiebat, quae, autem, iam vigeant ante Concilium. Erant nempe:

1) Prohibitio omnis cohabitationis in eadem domo sive cum propria uxore sive cum alia muliere quae incontinentiae suspicionem gignere posset.

2) Privatio beneficiorum ecclesiasticorum eis qui, iam constituti in ordinibus, promissionem continentiae transgrederentur.

3) Declaratio qua, matrimonium initum post ordinationem, declaratum est «non esse».

Circe tertium punctum suggerebam quod haec nullitatis declaratio iam in prioribus aetatibus existeret.

Remanet autem quaestio de origine et ratione huius disciplinae continentiae; quaestio quae tractanda erit in secunda parte huius investigationis.

Pars II

QUAENAM EST RATIO ET ORIGO CONTINENTIAE CLERICALIS?

Caelibatus strictus, excludens uxoratos ab ordinibus sacris in Ecclesia Latina uti videbamus non habuit originem tempore Concilii Lateranensis II. Primus fons talis disciplinae strictioris, uti apparet, est instructio Papae Ioannis XXII, anno 1332, quae dicit uxoratos non posse in clero saeculari esse, nisi prout canonibus noverit convenire. Haec instructio invenitur in fontibus canonis 132, CIC (1917). Sed nunquam in concilio generali repetitur.

Caelibatus, ergo, debet intelligi principaliter tamquam *lex continentiae*, et non solummodo tam-

quam status innuptus, alioquin historia huius disciplinae remaneret omnino obscura³³. Quapropter iuvat iterare veram disciplinam caelibatus esse legem vel professionem continentiae perpetuae; qua disciplina clerici innupti, nupti et vidui semper unificaabantur. In definitione sua virginitatis Sanctus Augustinus dicit: «Virginitas est *continentia*, qua integritas carnis ipsi Creatori animae et carnis vowedetur, consecratur, servatur»³⁴.

Hodie, propterea, loquimur de continentia perfecta et perpetua — vox est Concilii Vaticani II et Codicis anni 1983³⁵. Viduitas et continentia perpetua coniugalis sunt formae «secundariae» continentiae perfectae; sunt species «virginitatis secundariae»³⁶. Notandum est, praeterea, quod Sanctus Thomas Aquinas, cum tractat de votis religiosiis, de paupertate, *castitate* et oboedientia non loquitur, sed loquitur de paupertate, *continentia* et oboedientia³⁷. Sciebat coniuges quoque,

³³ Propter hoc, theologice loquendo, recte possumus permutare vocem «continentiam» in «caelibatum». Et ita facit DESIDERIUS DE S. MARTINO, theologus tridentinus: «Cum autem quaeritur, an, ubi est penuria sacerdotum, debeant admitti mariti ad sacerdotium, respond[eo], id non expedire ut fiat, cum id nunquam in ecclesia catholica factum fuerit. Si autem cum voluntate uxorum fieret, posset, "sed tamen, ut ipsi et" uxores etiam manerent *coelibes*..." (emphasis mea) *Concilium Tridentinum Diariorum, Actorum, Epistularum, Tractatum Nova Collectio* ed. Societas Goerresiana, t. IX, pars 6 (Freiburg in Brisgau, 1965) 441.

³⁴ *De virginitate*, 8; PL 40, 401.

³⁵ Cf. *Lumen Gentium*, 42; *Perfectae caritatis*, 12; *Presbyterorum ordinis*, 16; cc. 277, 1 et 2; 599.

³⁶ Cf. KAROL WOJTYŁA (John Paul II), *Love and Responsibility* (London, 1982), 253.

³⁷ ST 2a2ae q. 186, a. 6; cf. a. 4.

consensu mutuo dato, aliquando inire vitam religiosam; porro, post votum solemne continentiae factum, vitam conjugalem sexualem iterum sumere non potuerant³⁸.

In historia Ecclesiae notamus, quod non tantum clerici nupti et eorum uxores ligati erant disciplina seu lege continentiae, verum etiam religiosi nupti³⁹. Votum enim continentiae, emittebatur ad tuendam legem. Lex continentiae, ergo, exprimit modo iuridico id quod necessarium est — saltem pro religiosis — ex ipsa natura vocationis quam amplectuntur libere. In hac luce sermo evangelicus, «sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum» (Mt 19,12), fuit etiam fundamentum evangelicum pro eis qui ad vitam «consecratam» animi et corporis etiam in statu coniugali vocarentur.

Haec fuit «vocatio intra vocationem», cuius exemplar obvium erat matrimonium continentia signatum Virginis Mariae et Beati Iosephi; quod exemplum in scriptis invenitur spiritualibus saeculi IV et porro. Etiam si, ut patet, vocatio monastica vel religiosa a vocatione sacerdotali valde distincta est, attamen adest affinitas obvia in re continentiae. Sanctus Hieronymus, exempli gratia, dicit:

*«Miror clericos et monachos et continentes id non laudare, quod faciunt. Castrant se ab uxoribus suis, ut imitentur virginum castitatem»*⁴⁰.

³⁸ *ST Supplementum*, q. 53, a. 2. Cf. ALEXANDER III, *Decretales Gregorii IX*, III, 32, 5.

³⁹ Cf. *Pedalion*, 347-349; Novella 20 Imperatoris Leonis Sapientis: Zachariae, *Ius Graeco-Romanum* (Lipsiae, 1856-1884) 3, 61-62.

⁴⁰ *Apologeticum ad Pammachium*. Ep. 49,2. *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum* (CSEL) 54, 352.

In prima epistola papali cognita quae expresse nostram tractat quaestionem, *Epistola I ad Himerium* (directa), anno 385 scripta, Siricius PP. respondet ad doctrinam heterodoxam Ioviniani, in qua idem valor theologicus statui virginitatis et continentiae tribuitur atque matrimonio. Siricius defendit maiorem praestantiam — pro iis qui ad hunc statum vocantur — status virginitatis et continentiae in monachis, virginibus et in clericis. Vox «consecratio» invenitur in hoc contextu pro diaconis et presbyteris; id quod, meo iudicio, non sine significatione est⁴¹. Praeterea, adest in hac decretali doctrina communiter afficiens omnes categorias consecratarum personarum: doctrina de continentia *dedicata*. Factum quod in hac epistola et in aliis Siricio attributis offerantur in perspectiva cultuali argumenta sumpta e libro Levitici, Veteris Testamenti, non debet impedire illam aliam considerationem magis fundamentalem⁴².

Verum est, tamen, plures auctores hodie, si non maxima eorum pars, opinari potiozem rationem fuisse proprie munditiam ritualement seu munditiam culticam, quae determinaverit evolutionem disciplinae continentiae clericalis. Principalis auctor proponens hanc theoriam est ROGER GRAYSON, in opere *Les origines du*

⁴¹ PL 13, 1131b-1147a.

⁴² Cf. JEAN GALOT, *Theology of the Priesthood* (Ignatius Press, 1985), 240: «Yet the legislation on clerical continence, promoted especially by the popes, should not be isolated from a doctrinal context. The rationale of ritual purity did indeed put a Jewish stamp on priestly functions and on the conditions affecting the exercise of them, yet above this rationale and deep beneath it there was a whole current of thought inspired by the gospel which furthered the spread of virginity and consecrated celibacy».

*célibat ecclésiastique du premier au septième siècle, Gembloux, 1970, et dein in ulterioribus scriptis*⁴³.

Secundum hanc conceptionem, abstinencia sexualis ante accessum ad mysteria divina necessaria erat quia, secundum legem leviticam, activitas sexualis constituebat immunditiam "legalem". Ergo, si quis inter sacerdotes christianos volebat celebrare mysteria sacra, scilicet sanctam missam, debebat totaliter continens esse. Alia expressio pro munditia rituali esset, igitur, «abstinencia sexualis propter eucharistiam».

Procul dubio, exstat sensus theologicus profundus pro abstinencia cultica; quod demonstratur etiam apud religiones non-christianas, in quibus similis disciplina habetur. Sed, ut puto, haec explicatio plenam iustificationem theologicam pro continentia clericali non praestat, neque fontes sunt intelligendi tamquam si non fuissent aliae rationes possibles, prout supra notatum est.

Praeterea, in contextu sacerdotii christiani vox «cultus» debet complecti praeter dimensionem sacrificalem, etiam aspectum propheticum⁴⁴.

Tamen, in linea theoriae Gryson, plures putant — exempli causa Schillebeeckx — disciplinam continentiae habuisse rationem in quadam anthropologia erronea seu deficiente, ubi sexualitas humana censebatur immunda. A multis adiungitur, praeterea, quod ad-

⁴³ «Aux origines du célibat ecclésiastique: la continence cultuelle des clercs majeurs dans l'ancienne Église d'Occident». - *Corona gratiarum. Miscellanea*. E. Dekkers OSB, II (Bruges, 1975) 123-128; «Dix ans de recherches sur les origines du célibat ecclésiastique», *Revue Theologique de Louvain*, 11 (1980) 157-85.

⁴⁴ Cf. CHRISTIAN COCHINI, S.J., *Origines apostoliques du célibat sacerdotal* (Paris, 1981), 465-475.

ventus in saeculo IV disciplinae continentiae perpetuae fuit exitus processus «sacralizationis» ministerii, secundum theologiam leviticam promotam, adversum conceptum fluidiorem ministerii presbyteralis Novi Testamenti⁴⁵.

E contra, ut scripsit Galot, hanc contestans theoriam, iam ab initio vitae Ecclesiae presbyteri et episcopi functiones sacras et sacramentales conficiebant (cf. 1 Tim 5,22; 4,14; Ep. Iacobi 5,14)⁴⁶. Dicit, insuper, theoriam Schillebeeckx et aliorum de origine theologica legis continentiae, scilicet aestimationem negativam matrimonii, ut adequatam explicationem non posse haberi⁴⁷. Immo, alia studia recentiora inducunt cautiones ne ratio munditiae ritualis aestimetur ut primaria et unica ratio continentiae clericalis saeculo IV⁴⁸.

Altera explicatio, vero, potest proponi cur inveniat sermo de lege levitica in epistolis Siricii. Erant ipsi adversarii disciplinae continentiae totalis qui, revera, induxerunt referentiam ad ordinem leviticum. Ad iustificandam propriam partialem incontinentiam attentionem ad Vetus Testamentum referebant. Dicebant enim sacerdotes leviticos non fuisse obligatos ad continentiam nisi quando sacrificium esset faciendum, et non aliter. Curnam sacerdotes christiani strictiorem disciplinam deberent tenere?

Ita apud adversarios invenitur quodammodo ra-

⁴⁵ Cf. J.P. AUDET, *Mariage et célibat dans le service pastoral de l'Église* (Paris, 1967), 114; E. SCHILLEBEECKX, *Ministry*, 88; GALOT, 240.

⁴⁶ *Ibid.*

⁴⁷ *Ibid.*

⁴⁸ DANIEL CALLAM, CSB, «Clerical continence in the fourth century: three papal decretals»: *TS* 41 (1980) 3-50; «The frequency of mass in the Latin Church»: *TS* 45 (1984) 613-650.

dictus argumentum, quod est in quodam vero sensu argumentum «sacralizationis leviticae». Siricius, quidem eorum argumentum assumit, sed ut contrariam conclusionem trahat. Si levitas oportebat contineri ad tempus, cum essent adstricti deserviendo in sanctuario, tunc *a fortiori* sacerdos christianus, qui habet perfectius sacerdotium quam leviticum, ad continentiam perpetuam tenetur, quia sacrificium Domini Iesu Christi est definitivum et perpetuum.

Talia, igitur argumenta naturae «cultico-sacrificialis» non proponuntur a Siricio uti unica argumenta possible, neque excludunt alias rationes theologicas, quia, ut opinor, illa sunt potius argumenta «commoditatis» seu argumenta «ex congruentia», accommodata ad modum cogitandi adversariorum disciplinae continentiae saeculo IV. Decretales Siricii, nihilominus, habuerunt magnum influxum in formulatione rationis continentiae in saeculis posterioribus. Huiusmodi argumenta a successoribus eius quasi verbatim aptata sunt, exempli gratia, ab Innocentio I⁴⁹; postea a Conciliis localibus, a Gratiano et theologis Medii aevi. Oportet ut nunc theologi nova argumenta magis accommodata ad mentem hodiernam evolvant⁵⁰.

⁴⁹ *Epist. ad Victricium episcopum Rothomagnensem* IX, 12. PL 20, 475c-477a; *Epist. ad Exsuperium episcopum Tolosanum* I, 2. PL 20, 496b-498a; *Epist. ad Maximum et Severum episcopos per Britios*. PL 20, 605b-c.

⁵⁰ GALOT, 245, scribit: «It is also to desire a more profound doctrine of the priesthood, and a deeper understanding of the bond that links celibacy to priesthood. Today's crisis has the advantage of alerting us to the need for a new theological effort. The fact that the priesthood has once more shifted to the centre of the debate stimulates us to explore the profound reasons that ground the rightness of priestly celibacy».

Momentum decretalium Siricii recentioribus annis denuo agnitum est, praecipue cum aliqui nunc opinantur canonem 33 Concilii Hispani Elvirensis non esse primam legislationem in Ecclesia de re caelibatus⁵¹, cum censeant Concilium non fuisse circa a. 305 celebratum, sed potius saltem circa finem saeculi IV⁵². Theoria, ergo, de interventione Episcopi Hispani Osii Cordubensis, qui in primo Concilio Oecumenico Nicaeno (315), imponere voluerit disciplinam Elvirensis de caelibatu in tota Ecclesia, reicenda est⁵³. Notandum est, praeterea, quod Siricius aperte declarat disciplinam continentiae clericalis, quam ipse reaffirmat, «apostolica et patrum constitutione» esse constitutam⁵⁴.

⁵¹ Canon 33 dicit: «Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positus in ministerio abstinere se a coniugibus suis et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur». H.T. BRUNS, *Canones Apostolorum et Conciliorum saeculorum IV-VII* (Berlin, 1839) 2, 6.

⁵² M. MEIGNE, «Concile ou collection d'Elvire?» *Revue d'histoire ecclésiastique*, 70 (1975) 361-387; cf. D. Callam, *Clerical continence...* 3, n. 2; ROGER GRYSO, *Dix ans de recherches*, 160-164.

⁵³ Haec theoria proponitur a HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des conciles d'après les documents originaux* (Paris, 1908 ss.) I, 1, 621; cf. VICTOR C. DE CLERCQ, *Ossius of Cordova, A Contribution to the History of the Constantinian Period* (Washington D.C., 1954) 278-279.

⁵⁴ *Epistola 5 ad episcopos Africae* («Cum in unum»), PL 13, 1156a-b: «...litteras tales dare placuit, non quae nova praecepta aliqua imperent, sed quibus ea, quae per ignaviam desidiāque aliquorum neglecta sunt, observari cupiamus, quae tamen apostolica et patrum constitutione sunt constituta, sicut scriptum est; «state et tenete traditiones nostras sive per verbum, sive per epistolam (II Thess 2,14)»...» In *Epistola 10 ad Gallos episcopos* («Dominus inter»), PL 13, 1184b, auctor (Siricius?) scribit: «quos

Origo vero continentiae clericalis in traditione non scripta a temporibus Apostolorum habetur, et non in legislatione innovativa saeculi IV; necessitas elaborandi theorias huius generis uti «sacralizationem ministerii», influxum monachismi, disseminationem encratismi, etc., practice evanescit. Sufficiat id quod continetur in evangelio et in traditione biblica. Hodie adest studium magni ponderis, in quo positio Siricii videtur confirmata, nempe opus a Christian Cochini, S.J., *Origines apostoliques du célibat sacerdotal*, Paris, 1981. Meo quidem iudicio conclusiones huius operis non sunt leviter arcendae. Immo, possumus adungere alia elementa in favorem huius sententiae. Unum tale elementum est quaestio de origine et motivo impediementi ordinis ad ineundum matrimonium.

Ut clare patet ex expositione nostra, Concilium Lateranense II non innovavit dum prohibuit matrimonium post ordines receptos, sed perspicuum reddidit seu statuit tale matrimonium simpliciter non esse validum. Prohibitio ipsa habebatur iam in primis saeculis Ecclesiae. Historicus graecus, Socrates, ad exemplum, scripsit saeculo V hanc prohibitionem esse «traditionem Ecclesiae antiquam»⁵⁵. In Oriente impedimentum censebatur esse originis apostolicae, et invenitur in collectione quae nuncupatur «Constitutiones Apostolicae» (saeculo IV/V)⁵⁶. Habetur ut norma universalis et indisputata in Concilio Oecume-

non solum nos, sed et Scriptura divina compellit esse castissimos, et patres quoque iusserunt continentiam corporalem servare debere».

⁵⁵ PG 67, 104a.

⁵⁶ J. PITRA, *Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*(Romae, 1864-1868) I, 325.

nico IV Chalcedonensi (451)⁵⁷. In saeculo sequenti Iustinianus, in edicto imperiali hanc disciplinam confirmavit, quia erat una ex «ordinationibus sacris»⁵⁸. Concilium Persianum Maris Acacii (486) considerabat hanc disciplinam, una cum disciplina continentiae perpetuae, uti «regulam antiquam»⁵⁹. In Conciliis saeculi IV Ancyrano (c. 314) et Neocaeserensi (c. 319) habetur disciplina pro diaconis et presbyteris⁶⁰; adest etiam in fontibus huius saeculi Ecclesiae Armenae⁶¹.

Evidenter in textibus ubi habetur clara expositio disciplinae continentiae, habetur quoque implicita prohibitio contrahendi matrimonium. Decretales Siricii exemplum afferunt, uti supra notatum. Concilium Carthaginense, anno 390 celebratum, declarat continentiam absolutam id esse «quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas»⁶². Ergo idem *a fortiori* ad normam prohibitionis applicandum est. Patres quoque Orientales Concilii Trullani (691/692) his verbis Concilii Carthaginensis auctoritatem apostolicam dederunt⁶³. Testimonium magni momenti habetur etiam in sermone Sancti Epiphanii Constantiensis (c. 315-403), qui sese propugnatorem traditionum orientalium monstravit. Declarat continentiam sacerdotalem esse «canonem ecclesiasticum sacerdotii», ab apostolis Christi regulatum⁶⁴. Ergo tacite idem pro

⁵⁷ Canon 14. JOANNOU, I, 1, 80.

⁵⁸ Novella 6, cap. 5: CJC (J) 3, 42-43.

⁵⁹ Chabot, 304.

⁶⁰ JOANNOU I, 2: *Les canons des synodes particuliers*, 64, 75.

⁶¹ MAL, X, 2, 269.

⁶² JOANNOU, I, 2, 217.

⁶³ Cf. canon 13: JOANNOU, I, 1, 140-143.

⁶⁴ Panarion (Adv. Haer.), Haer. 48, 9. *Griechische Christliche Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte* (GCS) 31, 231.

prohibitione contrahendi matrimonium est dispositum.

Verum est quod non facile vel sine cautione disciplina aliqua dici potest habere originem apostolicam (igitur cum proportionata cautela erit considerata) quando documenta explicita aetatis apostolicae desunt. Sed studiosi possunt id facere cum quadam certitudine pro aliquibus disciplinis vel doctrinis in luce evidentiae cumulativae annorum posteriorum et in luce principii continuitatis in vita Ecclesiae. Quaestio methodologica est maximi momenti⁶⁵. Sanctus Augustinus, exempli gratia, dicit «Quod universa tenet Ecclesia nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur»⁶⁶. Videtur autem impedimentum ordinis ad hanc categoriam pertinere. In traditione canonica graeca haec disciplina tradita est ut apostolica⁶⁷. Plures canonistae latini a tempore decretistarum usque hodie eandem sententiam tenent⁶⁸. Si ita est, dici potest quod impedimentum ordinis in luce

⁶⁵ COCHINI, 69-87.

⁶⁶ *De baptismo contra Donatistas* 1. VII, IV, 31. CSEL 51, 259. VINCENTIUS LERINENSIS scribit: «In ipsa item catholica Ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est». PL 50, 640b.

⁶⁷ Ita apud canonem 6 Trullensem; JOANNOU I, 1, 131-132. Cf. C. KNETES, «Ordination and matrimony in the Eastern Orthodox Church» in TS 11 (1912) 390-398.

⁶⁸ ALFONS STICKLER, «*Tratti salienti nella storia del celibato*» in *Sacra Doctrina* 15 (1970) 608; J. BOBAK, *De coelibatu ecclesiastico deque impedimento Ordinis Sacri apud Orientales et praesertim apud Ruthenos* (Romae, 1941) 144. Cf. discussiones theologorum tridentinorum: *Concilium Tridentinum Diariorum, Actorum, Epistularum, Tractatum Nova Collectio*, ed. Societas Goerresiana, t. IX, pars 6 (Herder, Friburgi Brisgoviae, 1924) 425-470.

traditionis insolubiliter cum ordine connectitur. Alio in loco demonstrare iam potui unicam rationem possibilem matrimonialis impedimenti ex ordine esse continentiam absolutam seu consecratam⁶⁹. Si hoc impedimentum est originis apostolicae, tunc etiam continentia clericalis originis apostolicae esse debet. Propter hoc Siricius quoque dixit continentiam clericalem esse «legem insolubilem»⁷⁰.

Traditio Orientalis de hac re, contra id quod generaliter censetur, talem visionem historiae caelibatus non negat. Sunt solummodo duo fontes primarii qui dubitationem generare possunt. In primis, secundum historicum graecum Socratem, Paphnutius, episcopus Aegyptianus, intervenit in Concilio Oecumenico Nicaeno I (325) ne disciplina continentiae clericalis pro omnibus clericis introduceretur⁷¹. Hoc episodum interventionis Paphnutii invenitur etiam in Decreto Gratiani unde traditum est ut fons authenticus legis orientalis⁷². Nihilominus, hodie magna cum certitudine scimus episodum istud falsum esse. Ipsi Gryson et Schillebeeckx in posterioribus scriptis suis de hoc consentiunt⁷³. Secundo, Concilium Generale

⁶⁹ «The "lex continentiae" and the impediment of orders» in *Studia Canonica* 21 (1987), 391-418; «Married clergy and ecclesiastical continence in light of the Council in Trullo (691)», *Annuaire historique des conciliorum* 19 (1987) Heft 1, 104-137.

⁷⁰ PL 13, 1139a: «Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora...»

⁷¹ *Historia Ecclesiastica*, I, 11: PG 67, 101b-104b. Cf. Sozomen, versione cuius utuntur polemista latini saeculi XI: PG 67, 437d-441c.

⁷² Pars I, Dist. 31, c. 12. Cf. CHOLIJ, *Married clergy*, 158.

⁷³ GRYSOON, *Dix ans de recherches*, 164-165; Schillebeeckx, *Ministry*, 86.

Trullanum (691/692) declarat in canone 13 facultatem utendi opere coniugali ex parte clericorum uxorum esse traditionis apostolicae⁷⁴. Sed Patres Concilii hoc faciunt sine ullo argumento. Alio in studio hoc concilium critice examinavi⁷⁵. Gratianus hunc quoque canonem in Decreto accepit ut authenticum fontem legis, et ut oecumenicum. Propter haec, meo iudicio, in saeculis posterioribus plures errores de origine caelibatus propagati sunt in Occidente. Praeterea, hac de causa, relatio intrinseca continentiam inter et impedimentum matrimoniale ordinis obscuratur.

Sed oportet animadvertere quod etiam in Oriente adest relatio intrinseca continentiam inter et ordines in actu secundo seu in ministerio activo ad altare. Canon 12 Concilii Trullani statuit episcopos continentes semper esse debere. Pro aliis, canon 13 emittit normam sequentem:

*«oportet enim eos qui divino altari assident, in sanctorum tractandorum tempore esse in omnibus continentes, ut possint in quod a Deo simpliciter petunt obtinere»*⁷⁶.

Tantummodo in Ecclesia Orientali Catholica huius saeculi haec disciplina suppressa est pro sacerdotibus uxoris qui celebrant cotidie. In Occidente, nunc prima vice in tota historia Ecclesiae, habentur diaconi uxorati qui ministrant sine obligatione continentiam servandi⁷⁷.

⁷⁴ JOANNOU, I, 1, 125-130.

⁷⁵ «De caelibatu sacerdotali in Ecclesia Orientali nova historica investigatio», *Periodica*, 57 (1988) 7-13 et passim; *Married clergy*, 183-197 et passim.

⁷⁶ JOANNOU, *ibid.*

⁷⁷ Vide CHOLIJ, *The «lex continentiae»*... 412-417; cf. nt. 33.

CONCLUSIO

Considerationes quas hic fecimus evidenter non carent momento, cum quaeritur utrum continentia clericalis sit originis apostolicae et constituat impedimentum ordinis ad amplectendum matrimonium, sive iam prima vice pro omnibus, sive secunda vice pro viduis, idque iam a temporibus apostolorum.

Conclusiones nostrae non sunt omnes novae. Fons theologicus alicuius momenti pro tota hac materia invenitur iam in discussionibus theologorum in Concilio Tridentino. Nova investigatio de hoc quoque Concilio est necessaria. Ad concludendum autem hoc studium, nostra interest aliquid citare ex his discussionibus, quia consentaneum est cum iis quae supra diximus. Illud dico quod spectat ad relationem continentiam totalem inter et impedimentum ordinis. Ait Ioannes Lubera:

«Coniugatis autem licuit et licet transire ad ordines; sed non licere neque unquam licuisse post ordinem susceptum uti uxoribus. Nam si liceret, non est ratio differentiae, quare non liceat ordinatis contrahere. Non licet enim ordinatis contrahere, quia ordinatis non licet uti uxoribus»⁷⁸.

Loquendo de origine continentiae, Franciscus Orantes dicit:

«Apostoli enim statuerunt atque praeceperunt, ut sacerdotes uxores non ducerent... Traditio autem apostolica universaliter (consensu totius ecclesiae) recepta et perpetuo servata ius divinum dicitur»⁷⁹.

⁷⁸ Concilium Tridentinum Diariorum..., 440.

⁷⁹ Ibid., 458.

Desiderius de S. Martino addit:

«Cum autem quaeritur, an, ubi est penuria sacerdotum, debeant admitti mariti ad sacerdotium, respond[eo], id non expedire ut fiat... Si, autem, cum voluntate uxorum fieret, posset [sed ea conditione, ut ipsi et], uxores etiam manerent caelibes»⁸⁰.

ROMAN CHOLIJ

⁸⁰ *Ibid.*, 441.